



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Christo Iudice Laetis Animis Expectando Oratio  
Reveren. Patris Seraphini Caballi, Brixienſis, Dominicani,  
Sacrae Theolog. Doctoris, atque prouinciaë terræ Sanctæ  
Prouincialis**

**Cavalli, Serafino**

**Brixiaë, 1563**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31421**



~~70/13~~

J 372.





ERZBISCHÖFL.  
AKADEMISCHE  
BIBLIOTHEK  
LEOSTR. 21  
PADERBORN

DE  
**CHRISTO IUDICE**  
LAETIS ANIMIS  
EXPECTANDO

ORATIO

**REVEREN. PATRIS SERAPHINI**  
CABALLI, BRIXIENSIS, DOMINICANI,  
*Sacrae Theolog. Doctoris, atque prouinciae*  
*terrae Sanctae Prouincialis,*

**In Dominica prima Aduentus.**

1562.

**Ad Sacrum Oecumenicum Tridentinum**  
**Concilium.**



Rom. XIII.

**Induimini Dominum Iesum Christum.**

REVEREN. PATRI IACOBO  
FESTINO SANCT' ANGELO,  
THEOL. DOCTISS. DOMINICANO,  
ac prouinciæ utriusq; Lumbardiæ Prio-  
ri Prouinciali vigilantissimo.

F. CAMILLVS CAMPEGIVS,  
PAPIEN. EIVSDEM INSTITVTI,

Theologus, & in Ditione Illustris. & Excel-  
lentissimi Ducis Ferariæ Inquisitor,  
salutem optat eternam.



VVM nihil existat, quod inter amicos com-  
mune esse non debeat: mutuæ nostræ be-  
neuolentiæ candorem, me plurimum ma-  
culasse putarem: si doctam, elegantem, &  
piam orationem, quam, maxima cum om-  
nium laude, in hoc celeberrimo Tridētino  
Concilio, charissimus & amantissimus nobis, Pater admo-  
dum Reueren. & Doctor Seraphinus Caballus, Prouin-  
cialis, a secretis Reuerendissimi Patris nostri Generalis ha-  
buit, ad te nō misissem. Dignum profectō est, ut quod il-  
le, cum summo totius Dominicane familiæ decore, audi-  
torumq; utilitate, de Christo iudicē præclare docuit, non  
modo tibi, almæ prouinciæ nostræ moderatori, sed com-  
professoribus vniuersis impertiatur. Illam igitur postea  
quam legeris, ac cæteris omnibus legendam exhibueris: &  
amicitiæ nostræ vinculo, & muneris tui autoritati, te pro-  
bè satisfecisse existimabo.

Vale amice, & pater optime.

Tridenti, Calen. Decembris. M. D. LII.

DE CHRISTO IUDICE,  
LAETIS ANIMIS EXPECTANDO,

ORATIO

SERAPHINI CABALLI; BRIXIENSIS,  
DOMINICANI, PROVINCIALIS.



V MMA admiratione dignissimum, semper mihi vi-  
sum est (Serenissimi Patres, Oratores Clarissimi)  
q̄ Christus dominus, secundum eam, qua vnum est  
cum patre diuinam naturam, infinita bonitas cum  
sit, atq; hominum Creator proque salute hominum  
factus homo, sanguinē & vitam cum dedecore tra-  
diderit: veruntamen illum ipsum, alijs in salutem, alijs in perniciē  
fore, experientia ipsa comprobemus: Nilque verius esse percipia-  
mus, quam quod Simeon ille fœlicissimus senex, inter amplexus &  
oscula, infantem Christum veneratus, diuinoq; instructus oraculo, ad  
virginem ipsius matrem dixit: Ecce hic positus est in ruinam, & in  
resurrectionē multorū in Israel. Quid nam præstantius excellētius;  
inter tot & tāta, quæ ppter nos egit & passus est Christus, quam tur-  
pissimum nostræ salutis gratia ipsius in Cruce supplicium? Nihilomi-  
nus dum agit animam, dum pro inimicis patrem deprecatur, dum hu-  
mani generis, cum Deo reconciliationem absoluit: vni tantum di-  
citur hodie mecum eris in paradiso. Idem ipse Christus qui mediator  
dei & hominum, qui hominum Saluator & redemptor ad salutem,  
hominū iudex ad condemnationem, est à Deo constitutus; se ad iudi-  
candum orbem, aliquando venturum, in Euangelio iam iam per-  
lecto testatur: alijs quidem sinistram suam, mortem nimirum & ge-  
hennam redditurus cōminatur: alijs verò, exultare præcipit dicens:  
Suspiciate & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio  
vestra; E' Christi igitur iudicio, cum rerū nostrarum summa p̄deat,  
uel perpetua ipsa fœlicitas, aut certè æterna ipsa damnatio: nil cor-  
di nostro antiquius, nil perseuerantius, nil importunius esse deberet,  
quam ut in tam ancipiti, incertoq; rerum nostrarū euentu, parati &  
instructi inueniri, diligentius & accuratius studeremus. Quamobrē  
Christus dominus, nostræ salutis amantiſsimus, ac studiosissimus, to-

Luce. 2.

Luce, 21.



Luce. 21.

ties nos hortatur dicens: vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista, quæ ventura sunt, & stare ante filium hominis. Si perditionem, si miserimum illum interitum, timendo perhorrescimus, quò diffugiemus? Vbi delitescere poterimus? Si vero perpetuam illam (quod præstat magis) cum Deo societatem, concupiscimus, peroptamus, desideramus, quid nobis agendum Patres? Cuius fidem & patrocinium interpellabimus: ut tantam assequamur beatitudinem? En adest mater nostra Ecclesia, unico, eoque; diuinitissimo, ac saluberrimo consilio: per Apostolicam doctrinam, cõmonefaciens nos & dicens: Induimini Dominum Iesum Christum: ut illi induti, nedum ipsius finistram subterfugere valeatis, verum & ab eius dextera, regnum obtineatis æternum. Facturum igitur me satis existimaui, non quidem tantæ rei splendori & Maieitati, neque grauissimo huic, atque in tota Christiana republica religiosissimo confes-  
sui, sed imbecillitati meæ (qua seruum coram tot dominis suis, maiorum iussu, verba facere decet) si, quid nam referat, Christum nos induere (quo nil diuinius, nilque nobis vtilius cõtingere potest) & quam ratione id fieri possit, plana, & aperta oratione, ad vestri memoriam reuocauero.

Rom. 13.

Rom. 8.

1. Cor. 15.

Phili. 2.

Heb. 2.

Q V V M Deus pater, secundum Consilium, & suæ voluntatis beneplacitum, ab æterno decreuerit, neminem ex filiis Adam, sui regni in perpetua illa felicitate consortem admittere, nisi qui dilecto filio suo, Christo Iesu, domino nostro, similes essent, atque conformes (diuo Apostolo dicente: Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus) Christi imaginem & speciem geramus, et induamus oportet, si nostræ salutis consultum iri cupimus. Cuius rei magnitudo, atque præstantia, cum humanum Consilium excederet, & vires: Dei Clementia factum est, ut hominum genus, tanto munere dignaretur, atque illustraretur, ut filij Adam, filij Constituerentur Dei: prioris ac terreni Adam imaginem deponentes, ipsius Christi effigiem, & similitudinem pulchriorem induerent, ac digniorem. Quod ut magnificentius perficeretur, idem per naturam filius, Christus dominus, per omnia fratribus prius assimilari voluit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, atque habitu inuentus ut homo: sicque mortalitatis nostræ imbecillitates, conditiones, atque languores assumens, humanam verè induit naturam, ut quoniã pueri Communicauerunt carni & sanguini, & ipse communicauit, eisdem temptatus per om-

nia, absque peccato: vt de plenitudine ipsius accipientes, iure optimo,  
 per illius in nos adoptionis spiritū, & inhabitantem gratiam, sibi cō-  
 formes & persimiles effecti, praeclaras eius virtutes, illustres con-  
 ditiones, diuināsque proprietates induremus, assumeremus, nobisque ip-  
 sis vendicaremus; vt quemadmodum ipse, ab eterno, per naturā Dei  
 filius est, & hæres, atque vnus cum patre: ita & nos splendorem il-  
 lius Communicantes, per adoptionem filij, hæredes Dei patris, in  
 tempore constituemur: atque ita, adhærentes Deo, vnus spiritus cum  
 eo efficeremur: Christum per omnia induti, naturalem Dei filium in  
 fratrem adepti: cum ipsoque, Deum, communē in patrem assequuti, sic  
 vt suauitatē, spiritusque dulcedinē nacti, ad inuicē gratulantes dicere  
 possimus: Videte qualem charitatē dedit nobis Deus pater, vt filij Dei  
 nominemur & simus: & si nōdum apparuerit quid erimus, scimus  
 quoniam cum uenerit ipse, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti  
 est. Hæc igitur firma anchora est, de cælis ad nos demissa Amplissimi  
 Patres: hoc vnicum perfugium, solumque præsidium, è superis datum:  
 in quo, & nō per aliud, oportet nos in nouissimo die euadere, & Chri-  
 sto Iudici lætis animis occurrere. Quod nam? ad naturalem inquam  
 Dei filium conformatio: ad Saluatorem nostrum similitudo: ad Chri-  
 stum nostrum imitatio: ut in illum mutati, perque Dei clementiam cō-  
 uersi, atque illum induti, nobis aliquando dici experiamur: suspicite  
 & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.  
 Quod, quoniam pacto assequi possimus, paulo altius petendum est. Im-  
 possibile cum sit, sine fide placere Deo, accedentemque ad Deum cre-  
 dere oporteat, Christus autem verus existat Deus & homo: nequa-  
 quam fieri potest, ut illum sicut decet induamus, si qualis quantusque  
 sit ignorauerimus. Ad hæc: cum vires ex natura nobis minime sup-  
 petant, quibus illum induere & imitari valeamus: ad illumque acce-  
 dat nemo, nisi quem pater traxerit, qui misit illum: sperandū in Chri-  
 sto est, quod pro sua bona uoluntate, seipsum nobis haudquamquam  
 denegaturus sit. Postremò charitas cum sit Deus, quoniam iure, Chri-  
 sto, vero Deo, & domino nostro, similes & conformes euadere pote-  
 rimus, si charitate (in qua manentes, in Deo manemus, & Deus in  
 nobis) destituti fuerimus? Diuissimum igitur hoc negocium, fide,  
 spe, & charitate, ineffabili quodammodo, in nobis perficitur, & ab-  
 soluitur: quibus veterem hominem, cum actibus suis expoliantes nos,  
 nouum (Christum. s.) qui secundum Deum creatus est in iustitia, &  
 sanctitate veritatis, qui renouatur in agnitionem, secundum ima-

Io. 3.

I. Cor. 6.

I. Io. 3.

Luce. 21.

Heb. 11.

Ioan. 6.

I. Ioan. 4.

I. Ioan. 4.

Eph. 4.

Col. 3. ginem eius, qui creauit illum, induimus. Sicq; secundum vnam, atq; alteram naturam, ipsum Dei filium, nobis ipsis vendicantes, verè primogenitum fratrem, Christum dominum induti, eius imaginem, effigiemq; sacram, animis, corporibus, actibusq; nostris, vndique circumferamus. Sed uestri gratia, liceat Patres, luculentius & apertius, tantum explicare mysterium.

2. Cor. 4. DE necessitate fidei in Christum, qua verū Deum, verumq; hominem, si salutem assequi cupimus, fateamur oportet, nemo fidelium ambigit; cum æterna ipsa salus, in Dei patris, Christiue, ipsius filij notitia, recondita sit: Hæc est enim vita æterna (inquit ipse) ut cognoscant te solum verum Deum Patrem, & quem misisti Iesum Christum: quem idem pater, vnicum destinauit, nobisq; dedit propitiatorum, per fidem, in sanguine ipsius: vt per suam mortem reconciliaret, quæ in cælis, & quæ in terris, in ipso: ut quisquis in illum crederet, non periret, sed vitam nancisceretur æternam. Hanc fidem, in generationibus ab Adam vniuersis, veri Dei cultores, diuersis semper tamen venerādis sacrificijs, varijsq; ac religiosis ritibus, professi sunt.

10. 17. Christum igitur, per fidem, in quantum Deus est, ut oportet nos induimus, si rectè & firmiter de illo credimus, quæ de Deo filio credenda, sancta tradit mater Ecclesia catholica: nempe eadem sibi esse cum patre, naturam, substantiam, gloriam, ipsissimamq; æqualitatē: Quod

Rom. 3. verbum, splendor, & figura, atque imago paternæ gloriæ sit: portans omnia verbo virtutis suæ.

10. 3. Christum autem, quo ad humanam naturā, nobis ipsis, ueluti amicum circumdamus, & per fidem aptamus, si uerum hominem, per omnia nobis similem (absq; peccato tamen, quoniam nullum fecit, nec dolus inuentus est in ore eius) quodque propter nos factus sit homo, & cum adhuc inimici essemus, nostri causa mortuus sit, per propriū sanguinem, purgationem faciens peccatorum, atq; in illum pater existens, mundum sibi reconciliauerit: generosa fide crediderimus.

1. Cor. 4. SI dilectam, & proprio cruore, partam sibi ecclesiā, quibuscūq; sacrosanctis remedijs, atq; ad salutem opportunis sacramentis, locupletasse & ornasse, atque eidem de summo Pastore, & capite, cū plenissima, atque ad ædificationem sui corporis (quod est ecclesia) necessaria auctoritate, in Romano Pontifice, omnium Maximo, consuluisse, prospexisse, & prouidisse, haudquaquam dubitauerimus.

Col. 1. PER hanc fidem, Christum nos induimus, Christoq; tanquam Heb. 1. sacro velamine circumtegimur. Qui enim in Christo baptizati estis, 1. Pet. 2. Rom. 5. Heb. 5. 1. Cor. 5.

Gal. 3. Quis enim in Christo baptizati estis,

Christum induistis ( inquit Apostolus ) cum fidei sacramentum baptis-  
ma esse, non ambigimus.

Qui fidem hanc non habent, iam iudicati sunt, iam à Regno Chri-  
sti exclusi: quoniam non credunt in nomine vnigeniti filij Dei . Dicit  
hoc Arius, fateatur Sabelius, subscribat Apolinaris, Fotinus, Ne-  
storius, similibusq; hominũ colluuiis, atq; totius impietatis duces, qui  
in una uel in altera natura, verum Christum negantes, primam fidẽ  
irritam fecerunt, & superbiã spiritu inflati, alium à uero, sibi Chri-  
stum fingentes, ab utero sanctæ Matris Ecclesiæ errauerunt, atq; im-  
pura dogmata tradidere, & soluentes Iesum, eius fide sese exuerunt,  
Horum nefariæ societati, iure & merito sese aggreget Lutherus, &  
uniuersis ipsius a seclæ, Diuini cultus, ac totius ecclesiasticæ poli-  
tiæ ( quin potius ipsius Christi, in suo corpore, quod est ecclesia ) ad-  
uersarij, obrectatores, desertors importunissimiq; hostes, qui per-  
ditissimo conatu, ipsam Christi Ecclesiam, Christi corpus, & mēbra  
Christi sponsam, et amantissimas oues, Pastore & capite destituere, po-  
testate priuare, sacramentis gratiæ atque instrumentis spoliare, ab  
eademq; tremendum altaris uerissimum sacrificium, diuinissimumque  
auferre, Spiritus sancti assistentiam non habere, obloquuntur, ina-  
niter contendunt, & impudenter clamant . Atq; adeo his incūbunt,  
ac si possibile esset Christum mentiri, se ipsum negare posse, & suis  
promissis non stetisse: uel certè ecclesiæ, sponsam, corpusq; suum obli-  
uioni tradidisse . Num infidelis, num imbecillis, num immemor esse  
Etus est Christus: ut ecclesiam suam proprio sanguine acquisitam, cor-  
pus suum, os ex ossibus suis, carnem de carne sua, Gregem, oues, spon-  
sam, fratresq; suos & cohæredes non diligat, nõ amet, non curet: sed  
errorũ sæditate deprauari, peregrinis varijsq; doctrinis abduci, nefa-  
rio cultu, cõtaminari permittat? Quid impiũ magis? Quid de Chri-  
sto indignius, deq; ipsius in nos eximia charitate turpius, excogitari,  
& commemorari potest?

Catholicorum aut de Christo fides, vniuersa hæreticorum perfidi-  
a aduersatur, & piẽ recteq; de Christo Deo; fideliter de Christo ho-  
mine: ritè & firmiter de Christo Ecclesiæ capite, & spõso, credit, pro-  
fitetur, & docet . Nouit namq; , Christum Ecclesiam suam deser-  
uisse nunquam, nec ut aliquando deserat fieri posse, cum pollicitus  
sit, se usque ad seculi consumationem nobiscum futurum esse, Mi-  
nusue spiritum ueritatis à Christi sponsa recessurum, aliquando  
suspitari potest, recolens dominum promississe : Mittam vo-

2. Ioan. 4.

Eph. 5.

Matth. 28.

Ioan. 14.

bis spiritum veritatis, qui à patre procedit, vt maneat vobiscum in aeternum. Pro comperto quoque habet, à Christi ecclesia, quandiu in hac peregrinatione versatur, neque externum diuinum cultum, aut sacramentorum salutarem vsus, neque Romanū Pontificem, omniumq; maximū, certissimum Christi vicarium, Petri successorem, tollendum, deiiciendum, abrogandum: non ignorans, Christum (in gratiam & cōmodum ecclesiae suae) pro fide Petri successorumq; eius Romanorum Pontificum rogasse, ne deficeret: vt ipsius ecclesiae generationes, atque successiones vniuersae, haberent, per quae in fide confirmarentur: continerentur. Hac fide, verè Christum induimus: & Christum induti, non timebimus iudicem, sed expectabimus redemptorem, si tamen spes, charitasq; non defuerit.

LUC. 22.

Rom. 5.

Rom. 8.

Rom. 8.

I. Pet. 2.

Quum primū interior homo noster, per fidei lumen diuinumque splendorem, Christū verè indutus fuerit, ineffabili diuina pietati, diuinitatibusq; Christi meritis, toto pectore inherentes, in fiduciam quādam errigimur; speq; illa, quae non confundit, quāq; (testante Apostolo) salui facti sumus: diuersa quadam, aliaq; diuina ratione, secundum vnā atq; alteram naturam, Christum induimus: atq; inter gemitus inenarrabiles, frequentiaq; nostri cordis in celum suspiria, per patientiam & longanimitatem, reuelationem gloriae filiorum Dei expectamus, corporis mortis huius redemptionem. In viuētem igitur spem hanc, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem regenerati, ipsum Dei filium, sicuti Deus est per spem induimus, cum de immensa ipsius misericordia, atq; clementia, nunquam diffidimus, & execrantes Caim, Iudamq; proditorem, & reliquos omnes, qui desperantes, semetipsos tradiderunt in operationem omnis iniquitatis, peccatis nostris, quāuis grauissimis et turpissimis, in immensum, Christi pietatem, maiore esse, & ampliorem, non dubitamus: non ponentes carnem brachium nostrum, neque de infinita eius benignitate, nimium praesumentes, vt secundum carnē viuamus. Si vnā cum patre, & spiritu sancto, Christum, mortem nostrā, & perditionē, minime velle, sed potius, vt in gratiam ipsius restituti, in finem vsque perseueremus, magnopere desiderare, talem, tantumq; fore, qui possit & velit depositū nostrū seruare in illum diem, indubiè sperauerimus: Christum secundum deitatem, per spem profectō induemus.

I. Timot. I.

Ornamur autem Christo, & secundum ipsius humanitatem, illum per spem induimus, si haud quāquam diffidimus, meritorum, sanguinisq;

nisq; sui, atque diuinæ gratiæ nos comparticipes velle. Et si cor nostrum reprehenderit nos, fiduciam talem in ipsum habeamus, illum nobis minimè defuturum, sed aduocatū & interpellatorē pro nobis agere; vultui Dei assistere, ut Deo patri eius ope reconciliati, cum ipso, & in ipso, in perpetuum simus, regnemus, consistamusq;. In hoc igitur mari magno, tot temptationum, atque discriminum fluctibus, & procellis agitati, fortissimum solatium habemus, confugientes ad propositam nobis spem, quasi anchorā firmā, & tutam, non humanæ sapientiæ uel uirtuti innitentem, sed usque ad interiora velaminis incedentem & penetrantem, ubi præcursor noster, pro nobis introiuit Iesus. ô diuinæ in nos pietatis clementiam. ô immensam Dei Patris in filios adoptionis benignitatem, qui ut in illum sperantes, non confunderemur; in illum confidentes non infirmaremur, in illum spem nostrā, cogitatusq; nostros reponentes, non deficeremus, abundantius voluit pollicitationes suas, in Christo, nobis heredibus suis ostendere, palamq; facere consilij sui immobilitatem, iureiurando interposito, ut per duas res, quibus impossibile est mētiri Deū, speraremus, que oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, nisi tantam neglexerimus salutem. Spes igitur in Christo, cum certos nos reddat, alio in seculo feliciorem uitam esse, quam Christus nobis potius quam sibi, proprio sanguine acquisiuit, totis animis ardentiq; desiderio, ad illam tendamus patres, et per euāgelij præceptorūq; eius obtemperacionem, certam nostram uocationem facientes, ad illam festinemus: profitentes nos cum Abraam, Isaac, Iacob, Dei amicis, peregrinos esse super terrā, non habentes hīc ciuitatem manentē sed futurā inquiramus. salutemus à longe æternas delicias, beatamq; illam Dei uiuentis ciuitatem & patriam, cuius ciues effecti sumus, & diuina sorte conscripti, quæ pulchra, quæ decora, quæ suauia apud filios huius seculi habentur. & existimatur, contemnamus, affligi potius eligentes cum populo Dei, & Christi improperium portare, vnā cum Moyse, qui se negauit filium esse filiæ Pharaonis, quam temporalis peccati habere iocunditatem, quam à Christo separari. Conqueramur cum Dauid, incolatum nostrum prolongari: cum Paulo dissolui cupientes, ut cum Christo nostro regnemus. Christum igitur per spem induentes, confidentius expectabimus præmiatorem, quam metuemus ultorem.

Sed omnium maxima & nobilissima charitas, iam nos inuitat, ut de illa (si non uerius, saltem libentius) dicamus, quoniam iure, per

B

I. Ioan. 3.

& 2.

Heb. 7.

Rom. 8.

Esai. 64.

I. Cor. 2.

Esai. 64.

I. Cor. 2.

Pet. 1.

Heb. 11.

Heb. 11.

Pf. 119.

Phili. 1.

I. Cor. 13.

Col. 3.

I. Thim. 1.

Rom. 3.

I. Thim. 1.

illam, Christum induere possimus, cum si illa defuerit, factum sit nihil: etiã si fides tanta sit, vt montes transferat; & spes quacunque ardua & difficillima, sibi persuadeat. Quid nam obsecro Patres, qd commodi, quid vtilitatis, quid solatiij nobis relinquitur, si tantũ credimus de Christo, speramus de Christo, quę credenda, quęque speranda sunt, nisi illum etiam dilexerimus, sinceroq; affectu prosequuti fuerimus? Charitas ista (inquam) est, quę perfectionis vinculum & finis præcepti, mandatiq; vniuersi nuncupatur atque existit: qua lex omnis impletur, perficitur, & seruatur: quoniam qui proximum diligit, legem impleuit. Hęc de corde puro, sinceraq; de Deo notitia proficiscitur. si quidem quãto purius, Deum cognoscimus, tanto ardetius & propensius amamus. Ista in Christo beneuolentia, conscientiam rectam comitem habet, quę spem auget; namq; confidentius de Christo speramus, quanto meliori, magisque integra conscientia præditi sumus. Fidem quoque non fictam, amat hęc charitas, sociamq; indiuiduam possidet, non ociosam, non fragilem, non simulatam, nec inter prospera amicam tantũ, sed inter aduersa quoque constantem, & perseverantem.

Christum igitur pro ut Deus est, per charitatem nos induimus, si delectat nos, si gratum nobis sit, quod verus existat Deus omnipotens, omnium creator, Patri per omnia æqualis; quod eadem potẽtia, gloria, & maiestate fruatur, qua & pater: sitq; seipso beatus, bonorum nostrorũ nõ indigens; si nomen eius ab hominibus vniuersis, multo amplius, maiori cum veneratione, cultu, & obseruantia, tractari, coli, & haberi cupimus.

Ioan. 12.

Ioan. 14.

Quatenus Christus homo est, per charitatem illum induimus, si rectissima nostri cordis dilectione, de hypostatica vnione illius cum verbo gaudemus: si de gloria & nomine omnium maximo, per mortem crucis sibi parato: quod per suum sanguinem, humanum genus, à peccatis, & diabolica seruitute redemerit, patri reconciliauerit: in fratres adoptionis, nos elegerit; Principem mundi huius, antiquum nostrę salutis hostem, deuicerit, eiecerit, deturbarit, atque de illo, triumphum augustissimum deportauerit: quod Redemptoris mundi Titulum sibi vendicauerit, sui supplicij patibulo, orbem subegerit: iter ad Cælum, nobis præparauerit: locum beatasq; mansiones, in Regno suo, nobis decreuerit, statuerit, summa cum voluptate, & animi læticia acceperimus, sibiq; gratulabimur.

Hęc charitate, Christum, secundũ vnã atq; alteram naturam,

nos indutos esse argumentis clarissimis ostendimus, si summas ex nostri cordis penetrabilibus, sibi gratias habemus; quod tot tantisque beneficijs, ab eterno, electione, & predestinatione, in tempore vocatione, & iustificatione, demumque futura glorificatione, dignos nos effecerit. si mandata eius quae graua non sunt, seruamus; si diligitis me inquit, ipse, mandata mea seruate; si honoris, gloriae & laudis eius, studiosi & cupidi sumus, horumque Zelatores amamus. Demum Patres, si periocundum, si gratum nobis sit, quicquid in Christi laude & gloriam cedit, Christum per dilectionem nos indutos esse manifestum facimus. Quod uero omni acceptione dignum ingens illud redemptionis beneficium, nobis prestitum; ab hominibus (maxime, qui nomen sibi dederunt) parum amanter & studiosè aestimetur; & ipsius Ecclesia mater nostra, tot perturbationibus, tantisque procellis agitur, quae passim homines vrbes, Prouinciae; & Regna, à Christo deficiant, atque ad haereticos transeant; Et si quid aliud est, quod in Christi dedecus, diuinissimisque sanguinis ipsius, atque nominis sanctissimi contumeliam, & ignominiam, fieri videmus: mente turbata ac tristi ferimus, dolemus, indignamur, detestamur, et execramur. Hoc sancto amore, qui operit multitudinem peccatorum, hac veste nuptiali Christi; tunica inconsutili, quoniam nunquam excidit charitas, de cetero obuoluti, similes erimus hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, & cum sapientibus virginibus, exhibemus obuiam sponso & sponsae, ad agni; nuptias ingrediemur. Ita Christum induti, Christo iudici securius astare poterimus. Ad hoc admonet nos sancta Mater ecclesia per Apostolum, sicut aliquando Rebecca, Iacob minorem filium, optimo induxit consilio: ut quae proprio iure, paternam hereditatē, cum minime obtinere posset, pia fraude, maiorem fratrem simulando, eius vestes & nomen sibi assumens, patrem elusit, primogenitoque fratri benedictionem surripuit. Sic inquam nobiscum agit mater Ecclesia, dicens: consilijs meis acquiescite filioli: Induimini Dominum Iesum Christum, ut eius gratia & morum imitatione, solidaque imagine, atque effigie ornati, diuino possitis apparere conspectui, & in gratiam primogeniti, & per naturam filij, iure adoptionis ac morum similitudinis: felicitatis aeternitatem consequamini. Ita patres nobis ipsis consulemus, ita propriae saluti prospiciemus, & per fidem, spem & charitatem, Christum induti, sacris ipsius exuuijs, pulcherrimisque notis insigniti, & illustrati, veluti commilitones Imperatorem suum, oues Pastorem

1. Ioan. 5.  
Ioan. 14.

1. Pet. 4.  
1. Cor. 13.  
Luc. 12.  
Matth. 22.  
& 25.  
Apoc. 19.

Gen. 27.



sponsa sponsum, minores & per adoptionem fratres; per naturam  
& primogenitum fratrem, iocundis animis, lætaq; fronte, & ouan-  
tes, Christum ad iudicium properātem prestolabimur, non dubij quin  
versa vice, incredibili, & ipse affectus gaudio, nos excepturus sit,  
ad dexteramq; suam collocaturus: cum armis suis, suisq; in signibus  
munitos, sua dilectione ornatos, suo amore præditos, nos esse conspe-  
xerit; placidissimoq; vultu, lenissimis, atque amantissimis verbis con-  
solabitur nos, & ueluti alter Ioseph, nos fratres suos, aliquando sibi  
inensos; tunc verò ipsius gratia, Deo patri & sibi reconciliatos, am-  
plexabitur, dicens: Venite benedicti patris mei; percipite Regnum  
vobis paratum, ante constitutionem mundi: sicq; per omnia, similes  
ei effecti, semper cum domino erimus.

Matth. 25.

1. Thes. 4.

Ioan. 3.

2. Tim. 2.

1. Tim. 5.

1. Pet. 5.

Sed veniā date, obsecro Patres, nec indignemini, si vos nedum tan-  
quam dei electos, Christi coheredes, fratres, verum sicut domus Dei  
præpositos, ecclesiarū, pastores & Magistros, orbis Doctores, & ver-  
bi Dei, Christiq; mysteriorum fideles dispensatores: paucissimis ver-  
bis, maxima tamen cum reuerentia, alloqui ausus fuero. Illius enim  
vestigia, eum imitemini, cuius locum, & auctoritatem geritis, omnia  
sustineatis, propter electos vobis concreditos, ut & ipsi salutem con-  
sequantur: ut & ipsi vestra diligentia, vestro studio, Christum in-  
duti, extremi iudicij terrorem, & discrimen, euadere, Christi que  
regnum promereri valeant. Si qui in Christi ecclesia Episcopi sunt,  
qui honore duplici digni existimari velint, gregis sui salutem curēt;  
vt fide integra; constantiq; fiducia et spe, atque charitate non ficta,  
Christum induant. Præstabunt autem hoc, si in fide catholica, per  
puram, sanam, sinceramq; doctrinam, fideles, populosq; suos erudie-  
rint, docuerint, continuerint. Quod ut fœlicius vobis succederet Pa-  
tres, pro totius christiani orbis vtilitate disponente, Deo, consilio &  
iussu Pij quarti, Pontificis maximi, Christi Vicarij, huc accessistis;  
incommoda, quamuis multa, quamuis magna, quamuis grauissima,  
nihil facientes, vt quid de Dogmatum controuersis credendum esset  
prescriberetis, definirētis, statuerētis; Quod hæctenus gloriosè feci-  
stis, speroq; in posterū fœliciter, proq; sententia successum iri.

Pastores illi, ut eorū oves Christum induant, operam dabunt: qui  
ad proprias sedes reuersi, forma gregis facti, verbo & exemplo, mū-  
di huius vanitates & illecebras, fastum, auaritiam, cupiditatem,  
malamque concupiscentiam deuitantes; melioris vitæ se studiosos esse  
& amantes, morum honestate atque integritate declarabunt, qui

Præsules uerè illi q per charitatē populos suos, vt Christum induant  
persuadent: qui pia solitudine, vigilantīq; studio, arguendo incre-  
pando, obsecrando, eorum salutem curabunt: Qui Dei gloriam &  
laudem augere: diuinum cultum puriorem ac digniorem reddere: bo-  
nos fouere, errantes reuocare, hereticos & improbos cohærcere &  
emendare: pauperes recreare, lapsos erigere, orationibus, vitæ in-  
stituto, atque doctrina, ouilis sui curam gerere, omni eorum conatu  
studuerint. Antistites illi, qui coram Deo, & gregibus suis, tales se  
præsiterint, Piè sancte q; Christum verum Deum, verum hominem,  
verum bonum q; ecclesiæ Pastore, se se indutos esse manifestum faciēt.

2. Tim. 3.

His consilijs muniti Patres, afflictam & prostratam tot aduersis  
christianam rempublicam restituetis, secundum pristinum decorem,  
venustatē, antiquam q; pulchritudinem: Christi sp̄sam renouabitis,  
instaurabitis. His armis instructi, hostes ecclesiæ prosternetis, fu-  
detis, ad sanitatem reuocabitis: atque de illis, trophæum insigne,  
religiosum q; triumphum, vobis ipsis statuetis, deportabitis. His  
præsidijs circunsepti & vallati, Petri nauiculam, è medijs fluctibus,  
ingruentibus q; procellis, atque manifesto naufragio, (Christo ven-  
tibus imperante) vestro studio, vestra diligentia eripietis, liberabi-  
tis, atque ad portum incolumem reducetis.

Tandem Patres, restitutis, instauratis, emendatis, correptis, au-  
ctis q; omnibus, quæ ad pietatem attinent, cum Princeps Pastorum,  
vos iudicaturus aduenerit, comitantibus gregibus vestris, preceden-  
te q; vos Pio quarto, Pontifice maximo, Christi Vicario, vnà simul  
Christum induti, exultantes, & læti, Christo iudici occurretis,  
æternam mercedis coronam, atque retributionem accepturi: quod no-  
stri seculi, & superioris ætatis, ecclesiæ maculas, & rugas, suæ  
beatitudinis studio ac pietate, vestris precibus, laboribus ac sudori-  
bus abluerit Deus; Postremò audituri, suspicite, & leuate capita ve-  
stra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

B R I X I A

Apud Dominum Fructum, Dile-  
ctum Imperatorem.

Ad instaurandam Iam. Baptistæ Regula.  
Anno M. D. LXXIII.



B R I X I Æ,

Apud Damianum Turlinum, Dili-  
genter Imprimebatur.


Ad instantiam Ioan. Baptiste Bozola.

Anno M. D. LXIII.


















Orat  
da

38